

Franckesche Stiftungen zu Halle

**Joh. Henrici Hottingeri Henr. ex Henr. Nep. S. Theologiæ &
Antiquitat. Jud. Acad. Marburg. Prof. Ord. Typus Doctrinæ
Christianæ In Usus Institutionis ...**

Hottinger, Johann Heinrich

Francofurti ad Moenum, Anno MDCCXIV.

VD18 12542598

Caput XXIV. De Iustificatione.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-216057

CAPUT XXIV.

De

JUSTIFICATIONE

Σύνοψις.

Illi, qui vita spiri-
tuali præditi, et-
iam justificantur.

§. I.

*Ad justificationis ma-
teriam rectè intelli-
gendam, primò ex-
penduntur voces o-
riginales. §. II.*

*Tum Justificatio defi-
nitur. §. III.*

*Dein indicatur is, qui
justificat, Deus scil.*

Triunus. §. IV.

*Nempe quando fidelis
a Satana, lege, con-
scientia coram ipso
accusatur. §. V.*

*Nec habet quod pro-
priam justitiam op-
ponat. §. VI.*

*Unde constat causam
Justificationis non
esse propriam ho-
minis justitiam. §.*

VII.

*Atque actum Justifi-
cationis profluere
ex immensa gratia
Dei. §. VIII.*

*Qui tamen actus nihi-
lominus justus & san-
cti Judicis est. §.*

IX.

*Quippe causa justifi-
cationis meritoria
est omni numero
perfecta Jesu Chri-
sti justitia, loco no-
stro præstita. §. X.*

*Quæque fideli dona-
tur. §. XI.*

Me-

Medium verò necessarium, quò præstans hoc donum accipitur, est Fides. §. XII.

Et ea vera, viva, fructuum ferax. §. XIII.

Unde fluit, duo extrema fugienda esse, (1.) Ne causa justificationis propria hominis justitia habeatur. (2.) Ne fides mortua, inanis ea dicatur, quâ homo justificatur. §. XIV.

Fides tamen se non habet ut causâ justificationis, sed medium apprehendens justitiam Christi. §. XV.

Ex dictis porro fluit illum justificationis certum esse, qui viva & fructibus ju-

stitiæ fertili fide pollet. §. XVI.

Tandem adferuntur duæ Justificationis partes, quarum prima remissio peccatorum. §. XVII.

Quæ definitione & phrasibus scripturarum illustratur. §. XVIII.

Natura ejus dein deducitur. §. XIX.

Obiectio quoque solvitur. §. XX.

Tandem observatur, peccata præterita remitti, non futura. §. XXI.

Altera est adjudicatio vitæ æternæ. §. XXII.

Quæ jam ab æterno facta. Fit etiam in tempore in conscientia fidelis. Solenniter fiet in judicio ultimo. XXIII.

§ I.

Illi, in quibus vita spiritualis est, quique vera & viva fide Christum apprehendunt, etiam justificantur. Quod tum ex locis Scripturæ Rom. III, 24. 25. Jac. II, 17-f. tum ex natura fidei, quæ semper per charitatem efficax Gal. V, 6. tum ex absurdis constat. Vel quis dicet justificari hominem, in quo vita spiritualis non est? Aut in quo fides non exstat, & quidem viva?

II. De Justificatione ex professo dicturi initium facimus à vocibus originalibus earumque in hac materia notione. Hebræi appellant הצדיק factò judicio aliquem absolvere. Es. L. 8. Cujus oppositum est הרשע factò judicio aliquem condemnare. Deut. XXV, 1. הצדיק absolverent justum, והרשע & condemnabunt improbum. cf. Prov. XVII, 15. Græci tum LXX. tum Scriptores N. Testamenti enuntiant δικαιών itidem absolvere à facta accusatione Rom. VIII, 33. Unde constat, voces Originales, ad quas solùm attendendum nobis est, actum judiciale, quò pars sententiæ judicis absolvitur, significare. Et si loca reperirentur, in quibus memoratæ voces paulò aliter acciperentur, attamen quæ hanc materiam tractant, modo forensi exponenda sunt vid. Job. IX, 2. 3. Ps. CXLIII, 2. Rom. III, 24. 25. IV, 2. 3. 6. 7. 8.

7. 8. ubi explicatur *per remittere peccatum, non imputare peccatum*, Rom. VIII, 33. Accedit quod justificatio fidelis coram Deo sub processu judiciali sistatur, unde quæ in hoc communiter reperi solent, Scriptura refert de materia justificationis.

III. *Justificatio est graciosus actus Dei Judicis, quò is verum fidelem propter justitiam Jesu Christi à peccatis absolvit & vitæ æternæ heredem declarat.* Quâ de materiâ prolixè Paulus ad Rom. cap. III. & IV. Jacobus II, 17-20.

IV. *Qui justificat hominem, Deus est,* quod tum ex Scriptura, tum ex natura justificationis patet. Qui enim justificat, is homini peccata remittit. At potestas peccata remittendi penes solum Deum. Tribuitur autem modo Patri Rom. III, 25. modo Filio Jes. LIII, 11. modo Spiritui S. Rom. VIII, 16. I. Cor. VI, 11. Illi ut creditori, cui satisfactum Rom. III, 24. 25. Ipsi ut sponsori, qui satisfecit pro nobis & cui Pater judicium dedit Joh. V, 22. 27. Huic ut testi sententiæ nondum solenniter prolata.

V. *Homo verò apud Deum accusatur à lege, Satana, conscientia.* Lex quippe varia postulata continet, quæ homo præstare debuisset, non autem præstitit, hinc illi præmium negat, pœnam verò comminatur Joh. V, 45. Satanás ὁ κατηγορῶν pariter eum accusat legis violatæ. Apoc.

Apoc. XII, 10. Job. I, 9. II, 5. Denique conscientia iustas accusationes sive à lege sive à Diabolo factas negare minimè audet, sed cum iis consentit Rom. II, 15.

VI. *Iustus Judex accusationes cognoscit, examinat, reis proponit, ut, si pote, excipiant, respondeant, defendant causam suam. At non habent, quod opponant.* Nam si Deus vult cum homine contendere לא יעננה אחת מני אלה *ad mille ne unum respondere valet,* Job. IX, 3. Potius supplices orant: *Noli in iudicium cum servo tuo ire, nam nemo, qui vivit, hâcratione coram te absolvitur* Ps. CXLIII, 2. Quod quoque clarissimum. Lex quippe ab homine poscit universalem, constantem, consummatam obedientiam. Qui unicam legem violaverit, ille jam maledictionis reus factus est Deut. XXVII, 26. Gal. III, 10. At nemo unquam, si Christum exceperis, absque peccato vixit. Etiam *justitiæ nostræ כבוד עדים ut vestis sordida sunt* Jes. LXIV, 5.

VII. *Unde patet causam justificationis fidelium non esse propriam justitiam.* Quod porrò inde constat, quoniam justificatio consistit in remissione peccatorum Rom. IV, 5-9. Act. XIII, 38. 39. Excludit dein propria opera, ceu quæ Deum ad justificandum propriè non movent Rom. III, 20. Etiam gloriationem excludit c. c. v. 27. Qualis verò locum habe-

haberet, si ob dignitatem operum suorum homo justificaretur.

VIII. *Quoniam tamen certum est Deum justificare quosdam, elucet profluere actum hunc ex gratia & misericordia divina.* Si enim Deus nobiscum ageret secundum jus, non absolvendi sed condemnandi essemus. Hinc Paulus ait: *Justificamur δωρεάν τῇ εὐτελεῖ χάριτι* gratis sine merito nostro nonnisi gratia ejus (Dei) Rom. III, 24. Præterea quem Deus justificat, illum quoque salvat. At salus ex gratia Dei profluit. E. quoque justificatio. Eph. II, 8. Tit. III, 3. 4. 5. 6. 7. 2. Tim. I, 9.

IX. *At quamvis Justificatio sit actus Dei gratosus, simul tamen est actus veri, sancti, justi Judicis.* Dixerat olim, hominem, qui legem transgressurus, maledictioni ejus subjiendum esse. Dixerat quoque, illum vitam habiturum, qui legem adimpleturus est. Ut sanctus conjungi nequit cum scelerato. Ut justus suum cuique tribuit. Quare necesse erat, ut Deus glorificaretur, maledictio auferretur, obedientia præstaretur, peccator sanctificaretur, justitia adeoque exerceretur. Unde Paulus, qui justificationem gratiæ divinæ adscribit, simul dixit, justificari nos *διὰ τῆς ἀπολυτρώσεως τῆς ἐν ᾧ ἡμεῖς ἰνσοῦς* per redemptionem à Christo Jesu factam. E. quoniam Jesus Christus λύτρον, idq; sufficiens pro nobis solvit. Quare commate sequente addit, Christum in sanguine suo propi-

Nn tiato.

tatorium propositum fuisse εἰς ἐνδείξιν τῆς δικαιοσύνης αὐτοῦ, ad demonstrationem justitiæ suæ propter remissionem peccatorum prius factorum. Nec juvat dicere, vocem δικαιοσύνην etiam alibi benignitatem notare. R. I. Proprius & formalis significatus est *justitia*, qui semper tenendus, nisi grave quid obstet. II. At hoc loco nihil obstat. Imò nexus & scopus pro illo faciunt. Illa enim intelligenda est δικαιοσύνη, quæ requirit effusionem sanguinis ad remissionem peccatorum, quæ accuratè loquendo *justitia* non *benignitas* est. Tenendum insuper quòd Justificatio, uti eam Paulus tractat, legem stabiliat, non abroget Rom. III, 31. si non abrogat, tum sequitur, postulato legis satisfieri.

X. Tum verò egregiè legis postulatum adimpletum monstratur, si causa justificationis agnoscitur omni numero perfecta Jesu Christi *justitia*, loco nostro præstita. Christus enim maledictionem legis subiit abstulitque Gal. III, 13. omne quoque legis postulatum implevit, Matth. III, 15. Rom. VIII, 3. 4. Totum hoc non sui sed nostri causa, imò nostro loco egit, 1. Petr. II, 24. 2. Cor. V, 21. Et quidem ex voluntate Patris, negotium hoc ad nominis sui glorificationem ipsi committentis atque ideo promittentis populo suo remissionem peccatorum vitamque æternam, (Pater) sacrificio pro peccato peccatum condemnavit in carne. ἵνα τὸ δίκαιωμα τῷ νόμῳ πληρωθῇ ἐν ἡμῖν ut *jus legis*

in no-

Cap. nobis adin VII, passim hinc Christu Dan. IX. XIII, 6. I. hinc justitia nostra terref solvat. XII. Quar morte acc hinc à Paulo hinc à Galat. 1. 5. 18. F justificatione odum, quod vivatur, scil. atque hoc ne met. Homo et. Deus fa monstrans ju II. 2. 4. 27. in justitia Ch tum verò de tens est, sic neri donatu XII. Mea itia Christi temo fide d

in nobis adimpleretur, Rom. VIII, 3. 4. Joh. XVII, passim. 2. Cor. V, 19-21. Rom. VIII, 1. Hinc Christus dicitur adduxisse *justitiam æternam* Dan. IX, 24. Factus *justitia nostra* Jer. XXIII, 6. 1. Cor. I, 30. Quomodo verò factus *justitia nostra*? Satisfaciendo pro nobis, debita nostra lytro suo expungendo, quomodo in foro terrestri haud semel obtingit, ut N. pro N. solvat.

XI. *Quam Christus justitiam obedientiæ & morte acquisivit, ea peccatori donatur.* Hinc à Paulo χάρισμα, χάρις Θεῦ, δωρεὰ ἐν χάριτι τῇ τοῦ ἐνδὸς ἀνθρώπου Ἰησοῦ Χριστοῦ, χάρισμα εἰς δικαιοσύνην, χάρις καὶ δωρεὰ τῆς δικαιοσύνης, notanter vocatur, Rom. V, 15-18. Ex nexu constat, Apostolum agere de justificatione peccatoris atque his tradere modum, quo qui ex se condemnandus est, absolvatur, scil. donô, gratiâ. cf. 1. Cor. I, 30. 31. Atque hoc necessarium, si aliter justificatio obtinet. Homo enim propriam justitiam non habet. Deus sanctus, justus non justificat nisi demonstrans justitiam suam, ut esset justus Rom. III, 24-27. Quare aut nulla est justificatio, aut justitia Christi nobis donatur. Quemadmodum verò donum, quod pauperi datur, pauperis est, sic quoque justitia Christi, quæ peccatori donatur, peccatoris est.

XII. *Medium verò necessarium, quò justitia Christi donata accipitur, est fides.* (1.) Nemo fide destitutus justificatur. Quod men-

dico manus ad Eleemosynam accipiendum, id peccatori fides. (2.) Unde toties *fide* justificari dicimur Rom. III, 28. *Colligimus igitur, hominem fide justificari.* cf. v. 24, 25. *Credenti in illum, qui justificat impium, fides ejus imputatur in justitiam,* c. IV, 5. hoc est, eo loco habetur, ac si omne *δικαίωμα* legis implevisset, cf. V, 1. Gal. II, 16. (3.) Et justitia nostra *ex fide* Rom. I, 17. *per fidem* III, 22. *non propria ex lege, sed quæ per fidem Christi, justitia ex Deo in fide,* Phil. III, 9. dicitur.

XIII. *Et quidem fides vera, viva, ferax fructuum.* (a) Nam alia fides in Scripturis non probatur. (b) Paulus passim docet, se non aliam fidem intelligere, maximè Gal. V, 6. (c) Etiam Jacobus fidem sine operibus mortuam adeoque nullam agnoscit, c. II, 20. (d) Fides vera, quæ non viva & fructuum ferax, ne quidem concipi potest. Quare nova fidei justificantis natura haud fingenda est, de qua Spiritus S. nihil novit, atque in causa, quod homines, qui fidem in ore tantum habent, cum periculo animarum arbitrentur, sibi esse fidem ad justificationem peccatoris necessariam.

XIV. *Duo itaque probè cavenda sunt in hac de Justificatione materia: Quorum primum, ne causam Justificationis statuamus propriam Justitiam. Alterum, ne fidem inanem, vanam, mortuam, oris pro illa venditemus, quâ*

quâ justificari dicimur. Utrumque periculofum & veritati inimicum est. Imprudenter illi, dum primum errorem infringere conantur, in alterum non minus gravem incidunt. Illi se opponit Paulus disputans cum Judæis τὴν ἰσθὴν δικαιοσύνην propriam Justitiam ex operibus legis statuentibus Rom. X, 3. Huic Jacobus, rem habens cum falsis Christianis, qui fidem sine operibus ad justificationem sufficere putabant. Atque si ita ad scopum, quem uterque Apostolus præfixum tenet, ritè attendimus, sibi ipsis non contrariari facilè cognoscemus.

XV. Quando verò fidem vivam, fructuum feracem, necessariam asserimus, ex antecedentibus constat, eam non haberi causam justificationis meritoriam, ceu quæ sola Christi justitia est. *ἡ πίστις* medii tantum habet, attamen ex voluntate Dei necessari. Quemadmodum nemo justificari posset, nisi Christus pro illo mortuus, ita quoque nemo actu justificatur, nisi in quo vera fides est. Quomodo deceret Deum justificare hominem, qui peccata eorumque turpitudinem non agnoscit, non animitus dolet, non seriò constituit vitam malam relinquere, scelera non actu intermittit, Deum non amat, voluntati ejus se non subjecit? Quis hæc cum sanctitate Dei conciliaret? Abrahamus, David, exempla justificatorum probata id satis probant, Rom. IV, 1-9. Jac. II, 21-f.

XVI. *Unde patet, neminem de justificatione sua certum persuasumque esse posse, nisi qui viva & fructibus justitiæ fecunda fide pollet.* Verum quidem, quod Deo ab æterno omnia nota, etiam noti sint justificati vel justificandi. Sed quod Deo notum, non mihi, tibi &c. notum, nisi juxta criteria, quæ in hunc finem data sunt. Ais. At Spiritus S. testatur quod sim filius Dei. Si testimonium cordis testimonium Spiritûs S. est, tum necesse, ut idem in te veram peccatorum fugam, sanctum Dei amorem, sincerum pietatis studium produxerit. Alioquin testimonium cordis suspectum ducendum est. In corde humano non solum loquitur sanctus sed & impurus Spiritus. An hic vel ille loquatur, ex materia cum Scriptura conveniente vel non conveniente dijudicandum est. Quicumque in peccatis vivit, putatque se audire testimonium Spiritûs S. quod sit filius Dei, quod vita contaminosa cum justificatione consistere queat, ille miserè decipitur. *Non est condemnatio in illis, qui in Christo Jesu.* Sed quales illi? *Qui non secundum carnem sed secundum Spiritum ambulant,* Rom. VIII, 1. *Jus legis impletur in nobis, qui non secundum carnem sed secundum Spiritum ambulamus,* v. 4. Lege reliqua in hoc Capite. *Videte igitur, hominem ex operibus justificari & non ex fide tantum,* Jac. II, 24. fide scilicet quæ ab operibus divulgata est, qualem somnia-

bant

bant mali Christiani. Aliàs vera fides cum operibus conjunctissima v. 20.

XVII. *Constat Justificatio duabus partibus, puta peccatorum remissione & vitæ adjudicatione.* Nam justificatus possidet justitiam Christi, per consequens absolvitur à peccatis suis atque jus vitæ æternæ habet. Hinc etiam Scriptura conjungere solet: *Beati, quorum peccata remissa sunt*, Rom. IV, 7. cf. Act. XXVI, 18.

XVIII. *Remissio peccatorum, quæ prima justificationis pars, est actus gratiosus Dei Judicis, quò fidelibus propter mortem Jesu Christi pœnam, quam peccatis suis commeriti sunt, remittit.* Hebræi exprimunt per נָסַח *ferre, auferre*, Exod. XXXIV, 7. allusione, ut videtur ad sacrificia Lev. XVI, 22. Joh. I, 29. Item סָלַח *condonare*, Ps. CXXX, 4. *tegere peccata*, Ps. XXXII, 1. cum quo coincidit כָּפַר Dan. IX, 24. *non imputare perversitatem* Ps. XXXII, 2. Græci ἀφέναι ἀπειλήματα, *remittere debita.* Loquendi ratio desumpta est ab ære alieno, quod in rationes refertur. Nam peccata nostra sunt æs alienum, quod Deo debemus cf. Matth. V, 25. 26. XVIII, 23. 24. quod verò ex gratia ob λύτρον Jesu Christi expungit.

XIX. *Remissionis peccatorum naturam clariùs cognoscemus attendentes ad peccatum ejusque in homine effectum.* Peccatum hominem debitorem Dei facit, pœnæ subjecit, se-

parat illum à Deo, causa est, quominus gratiæ Numinis ad vitam spiritualem particeps reddatur. Hinc peccator, cujus peccata retinentur, secundum carnem ambulat, peccato servit. Quando verò peccata remittuntur, sequitur, debita ex libro rationum deleri, Ps. LI, 3. ad pœnas commeritas non condemnari Rom. VIII, 1. Peccatorem reconciliari cum Deo 2. Cor. V, 19. Hinc frui Deo propitio, cuncta donante, quæ ad vitam spiritualem ducendum pertinent, Tit. III, 6. Gal. IV, 6. Unde is, cui remissa sunt peccata, non amplius peccato servit sed justitiæ Rom. VI, passim. Ps. CXXX, 4. *Apud te remissio peccatorum, ut timearis.* Ratio quoque clara. Deus nemini gratiam facit, qui eâ abutitur, legibus ejus adversatur. Unde qui certus esse vult de remissione peccatorum, certus esse debet de sincero proposito & conatu peccata deferendi, secundum Spiritum vivendi Rom. VIII, 1. 4. *Nam qui in carne sunt, Deo placere nequeunt, c. c. v. 8.*

XX. *At dices: Si remissio peccatorum præter alia involvit liberationem à pœna commerita, quâ ratione fit, ut plurimi fideles diras satis pœnas subire cogantur?* Resp. (1.) Involvit quidem liberationem à pœna, sed non omni. (2.) Pœna, quæ immittitur Filiis Dei, nonnisi temporalis, paterna potius castigatio quàm pœna Judicis, Hebr. XII, 5-9. (3.) Unde non infligitur ad compensationem injuriæ Deo

Ca
leo per pe
libus sed e
reccatum id
is & tanto
ad non pe
noque maxi
heros suos
fictionibus
nos, quod
contare
XI. De
præter
nificatur, a
nne privileg
ipit. Quia
nus in pec
Rom. V
in luce am
monem in
Jesu Chr
peccato, 1. Jo
dat, ille sibi
nequit.
giter memo
amplius
ostquam sibi
malæ vit
de novo g
nam à mi
ne tenetur,

Deo per peccatum illata, aut ad nocendum fidelibus sed eos juvandum. Attamen fidelium peccatum ideò leve non habendum est, grave satis & tantò gravius, quò illis major gratia data est ad non peccandum quàm infidelibus. Deo quoque maximopere displicet & in causa, quod liberos suos duriter tractet, subinde majoribus afflictionibus temporalibus afficiat quàm impios, quod ex variis exemplis, maximè Davidis, contare potest.

XXI. *De peccatorum remissione tenendum, quòd præterita respiciat, non futura.* Qui justificatur, absolvitur à præteritis delictis, minimè privilegium peccandi cum spe veniæ accipit. *Quid igitur dicemus? An permanebimus in peccato ut gratia Dei abundet? Minimè.* Rom. VI, 1, 2. Perpende etiam reliqua. *Si in luce ambulamus, uti ipse in luce est, communionem inter nos invicem habemus, & sanguis Jesu Christi filii ejus purgat nos ab omni peccato,* 1. Joh. I, 7. Qui verò non in luce ambulat, ille sibi remissionem peccatorum polliceri nequit. Fidelis, cui peccata remissa sunt, jugiter memor sit verborum: *Ecce sanatus es, noli amplius peccare.* Joh. V, 14. Qui verò, postquam sibi videbatur de condonatione pristinae malæ vitæ persuasus, in peccatum incidit, ille de novo gradus pœnitentiæ observare, atq; veniam à misericorde Deo in Christo Jesu petere tenetur, Ps. LI. Matth. XXVI, 75. *Hec*

scribo vobis filioli, ne peccetis. Si quis verò peccaret, Advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum justum. Cave verò exponas contra mentem Apostoli si quis verò peccaret ex opinione hominum carnalium.

XXII. Altera justificationis pars est *adjudicatio vitæ*. Vita secundum legem ejus, in quo nullum peccatum, in quo *δικαίωμα τῆ νόμου*. At fidelibus peccata remissa sunt & jus legis in illis adimpletum est, Rom. VIII, 1. 4. Secundum Evangelium vita eorum, qui in Christum credunt Joh. III, 16. At illi, de quibus nos loquimur, credunt. Ergo eorum quoque vita. *Beatus ille vir, cui Deus non imputabit peccatum*, Rom. IV, 8.

XXIII. *Adjudicatio hæc jam ab æterno facta est*, quæ verò apud Dominum Deum nostrum abscondita latet. *Dein adjudicatio hæc etiam in tempore fit* per testimonium Spiritûs S. Rom. VIII, 16. unde fideles cum Paulo dicunt *spe salvati sumus* c. c. v. 24. Procul dubio plurimi se fallunt, seque hæredes vitæ æternæ habent, qui non sunt. At hoc inde, quod ad criteria beandorum non attendant, quæ plura exstant tum in memorato octavo ad Romanos capite, tum Matth. V, 3-12. Itaque qui prudenter & tutò agunt, illi primò solliciti de signis eaque custodiunt, tum quoque de vita æterna in Domino gloriantur. Rom. V, 1. 2.

Tan-